

## D. BV DDEI PRAEFATIO:

scripturam non admittant, quod faciebant Valentiniani, ad antiquissimas potius ecclesias, quae eo tempore apostolicam doctrinam adhuc seruabant, quam ad somnia et commenta hominum obscurorum recurrentum erat. Id etiam confirmat, afferens, si apostoli nihil litterarum monumentis consignatum reliquissent, tum vtique non ad commenta somniaque obscurorum hominum, sed ad publicam ac receptam in antiquissimis ecclesiis doctrinam, cuncta exigenda fuisse: *Quid autem? si neque apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias.* Idque ita se habere, inde porro demonstrat, quod apud gentes litterarum ignaras publica et recepta doctrina, si quaestio oriretur, in subsidium vocanda esset, non traditiones aut figmenta huius aut illius hominis: *Cui ordinationi assentient multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes.* Sed quae illa traditio? Num talis, quae diuersum quid continebat ab eo, quod apostoli litterarum monumentis consignaverant? Minime. Stetim enim addit IRENAEVS: *in unum Deum credentes, fabricatores coeli et terrae, et omnium quae in eis sunt, per Christum Jesum, Dei filium: qui propter eminentissimum erga figuratum suum dilectionem, eam, quae esset ex virgine, generationem sustinuit etc.* Hinc condiscere potuisset MASSVETVS, si mens non laeva fuisset, IRENAEVVM traditionem scripturae non opponere, aut quod diuersum quid a scriptura sacra contineat, credere; sed veram et apostolicam traditionem nihil aliud, quam quod in scriptura sacra reuelatum est, continentem, et quam ecclesiae antiquissimae ex viua apostolorum voce adhuc tenebant, vrgere contra falsas et spurias traditiones, aut figmenta potius ineptissima Valentianorum.

Et ita veram ac genuinam IRENAEI de traditionibus sententiam contra MASSVETI distortiones satis vindicauimus. At iuuat, de medio, traditiones propagandi paucis aliquid addere, de quo MASSVETVS prolixo differit, quae tamen omnia accuratius discutere, nostri non fert instituti ratio. *Medium, inquit, ac velut canalis, quo traditio apostolica ad nos usque fluxit, intemerata successio episcoporum est legitime in ecclesia catholica ordinatorum.* Apostolos enim neminem ecclesiis praefecisse, ait, nisi eorum omnium, quae ad fidem et mores pertinent, notitia accurate imbutum, ut eandem notitiam ad posteros transmitteret. Hinc IRENAEVUM hanc episcoporum successionem tam acriter, tamque frequenter contra haereticos vrgere; quod, productis iterum iisdem, quae iam antea recitauius, ex IRENAEO locis, comprobare annititur. Fieri id non sine ratione ab IRENAEO, cum successio illa episcoporum sit certissimum, indubitatum, omnibusque manifestum apostolicae traditionis atque doctrinae argumentum. Eamque ob causam recte quoque eundem ad antiquissimarum ecclesiarum, speciatim Romanae, provocare successiones, quippe in qua semper conseruata sit ea, quae est ab apostolis traditio. Idque subinde eum probare ex continua Romanorum episcoporum, a Petro ad Eleutherum usque, qui ipsius tempore Romanam ecclesiam rexerit, successione; qua enumerata tandem concludat: *Hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis, in ecclesia traditio, et veritatis praedicatione peruenit usque ad nos.* Et est plenissima haec ostensio, *vnam et eandem viuificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conseruata et tradita in veritate.* Commemoratis porro, quae de Asianarum ecclesiarum, Smyrnensis cum primis, et Ephesinae, traditionibus IRENAEVS, docuit, eorum hic episcoporum intelligi successionem monet, *qui legitime et secundum ecclesiae leges ordinati sint, et ab unitate ecclesiae non defecerint.* Quamprimum eniim episcopus ab unitate ecclesiae deficiat; non amplius in eorum numero eum esse, per quos rite propagetur traditio: vnde, ne quis tum fallatur, ad aliarum ecclesiarum, Romanae cum primis, quae centrum sit unitatis, traditiones, priuata sententia sit exigenda, et ab iis legitimus scripturarum petendus sensus. Ex his auctori occasio enasci-